

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Beiträge zur Geschichte und Litteratur

Molter, Friedrich

Frankfurt am Main, 1798

Beylagen

[urn:nbn:de:bsz:31-229434](#)

B e y l a g e A.

GEBEHARDO, Arcis Sion Speculatori vigilissimo, nec non animali ante et retro oculato, Manegoldus, ille vermis & non homo, quidquid supplex gemensque peccatoris devotione. — Cum in dies, pater venerande, adversariorum rabiem et insaniem attenuari, et Catholicæ pacis unitatem reparari, crebris astutus suspiriis: de effectu optati desiderii eheu non modo non gaudemus, sed eamdem truculentiorem cottidie furore exaggerari gemimus, et omni cordis dolore et amaritudine exhorremus. Nam quod hactenus privatis conventiculis susurrare, et quasi furtivis assertionibus ipsius sceleris immunitate stupidi et attoniti inter mulierculas vix prædicare præsumperunt, nunc scriptis defensitare & corroborare nec erubescunt nec formidant. Episcopus enim Virdunensis, immo ex persona & rogatu ipsius, Winricus, scholasticus Trevirensis, nuper contra Sedem Apostolicam, contra Ecclesiasticam disciplinam, contra Religionem Catholicam, compilavit libellum, cui denique nounulla scripturarum testimonia indidit, aliqua etiam inventa male intelligendo depravavit, quæ vero non inventa falsa denuntiatione fronte carens & omni impudentia pro-

stitutus confinxit, et spurcissimis Præfulem Apo-
stolicum convitiis deturpavit, cæterosque Ca-
tholice Religionis duces & præceptores ad le-
vitatis suæ testimonium tum obliqua notando,
tum publica blasphemando acerrima reprehen-
sione derisit. Qui denique libellus, quia ab
illis pro authentico et iamiam canonizato un-
dique circumfertur, immo pene per omnes pla-
teas et andronarum recessus ad Ecclesiæ ludibri-
um propalatur, cum in manus nostras de-
venisset: nunc ab eisdem destructi nostri mo-
nasterioli quondam præpositus, Hermannus,
meæ fatuitati id obedientiæ iniunxit, ut eisdem
literis obviare fusciperem, et canonicō rigore
enervare curarem. His igitur vixtus dum obe-
dientiæ necessitudinem excusare non potui,
præcepto succubui, stultusque ego non stulte
obedivi, feci quod potui, dixi quod sensi.

B e y l a g e B.

Cap. 38.

Unde idem (Augustinus) in sermone
LXXXV. boni, inquit, cum persecutionem fa-
ciunt malis, possunt recte dici et propter iusti-
tiā facere, quoniam diligendo persequuntur
malos et propter iniquitatem quam oderunt in
ipsis malis. Ex hac enim consideratione con-

suetudo ecclesiæ, ut credo, antiquitus inva-
luit, quod qui aliquem mathematicorum inter-
ficiunt, nequaquam pro homicidis tenentur,
nec legibus homicidarum puniuntur, quippe
qui enormitate sceleris hominem deserit, anti-
christus, ut supra probatum est, efficitur, ideo-
que occisus merito, nec pro homine reputabi-
tur. Hanc namque differentiam occidenti pul-
cre idem beatus Augustinus in primo libro de
civitate Dei distinguit explanans illud: non
occides, nec alienum ergo, nec te: neque
enim qui se occidit, aliud quam hominem occi-
dit. Quasdam vero exceptiones eadem ipsa di-
vina facit auctoritas, ut liceat hominem occidi.
Sed his exceptis quos Deus occidi iubet sive data
lege, sive ad personam pro tempore expressa
iussione non autem occidit ipse qui ministerium
dabit iubenti sicut adminiculum gladius utenti.
Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fe-
cerint, quod dictum est non occides, qui deo
auctore bella gesserint, aut personam gerentes
publicæ potestatis secundum eius leges, hoc est,
iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte
punierint. Et per pauca: nec Samson excusa-
tur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus
oppressit, nisi quod Spiritus hoc latenter iusse-
rat, qui per illum miracula faciebat. Ideo nam-
que idem doctor in XIX eiusdem operis libro
iustum, ait, bellum genitur, cum pro peccato
dimicatur; unde et Paulo superius: pacis inten-

tione afferit iusta bella esse gerenda. Hinc in libro quæstionum, et cum prævaricatorem inquit liceat occidi, occiditur innocens. Si ergo sic prædictus doctor testatur prævaricatores recte occidi, ex hac interfectionis licentia Heinriciani nulla possunt ratione separari, qui non solum ipsi prævaricatores existunt, sed quoscumque possunt; minis, tormentis, proscriptionibus prævaricari compellunt, insuper etiam ipsas di-vino spiritu promulgatas leges publica contumacia evertere & evacuare contendunt. Unde martyr sanctissimus et egregius, pontifex Cyprianus in nono abusionum gdo inter multa distinctionis & disciplinæ ministeria iustitiam regis afferit esse, impios de terra eradere et par-ricidas et periurantes non sinere vivere. Ergo si ad iustitiam pertinet, impios de terra per-dere, periuros et parricidas vivere non sinere, non iniuste agit quicunque non voto privatæ vindictæ, non causa suæ implendæ avaritiae, sed principum Catholicorum adiutorio & iuſſione, ſive publice pro patria, pro iuſtitia, pro apo-stolica ſede pugnando, vel iuſtitiarium admini-ſtrationem exercendo, aliquem Heinricianorum occiderit, qui non ſolum ipfe ut ſupra memo-ravi, eſt multis periuriis obligatus, ſed multa hominum millia Apostolicam obedientiam ab-iurando ſcelus idolatriæ incurrere & a Chriſtiana professione apostatare permittendo, impe-ſando, trahendo compulerunt, qui, ut hos ta-

team, quos martialis gladius absumpfit, tot
cottidie parricidia committunt, quod et paren-
tes et cognatos et Christianos fratres gladio lin-
guæ occidunt, qui id quidem ut Augustinus af-
serit, flagitiis omnibus commissis corpus Christi,
quod est Ecclesia, schismatica conspiratione
scindere, imo ipsum Christum, ut supra pro-
batum est, non horrescunt trucidare.

B e y l a g e C.

*Cap. XLI. Quod pro Heinricianis non sit
orandum.*

Ille qui de pectore domini sapientiae pro-
funda segebat, dixit: Est peccatum ad mortem
pro quo dico, non ut roget quis. Unde Au-
gustinus de sermone Domini in monte aperte
nobis ostendit: esse quosdam fratres, pro qui-
bus orare non nobis præcipitur, cum dominus
etiam pro persecutoribus nostris orare nos iu-
beat. Nec ista quæstio potest solvi, nisi fatea-
mur, esse aliqua peccata in fratribus, quæ ini-
micorum sint persecutionibus graviora; & post
pauca, quod et quale sit illud peccatum, pro
quo præcipitur non orandum, definit dicens:
peccatum ergo fratri ad mortem puto esse, post
agnitionem Dei per gratiam domini nostri Iesu
Christi, quisquis oppugnat fraternitatem, & ad-

versus ipsam gratiam, qua reconciliatus est adeo, invidentiæ facibus agitatur. Cum igitur quavis diligentia queratur, cur isti fraternitatem impugnant: alia penitus nequit causa inveniri, nisi odium pietatis et iustitiae, et invidentia disciplinæ et correctionis ecclesiasticæ, secundum Joannis et Augustini testimonium: iam pro ipsis non est orandum, quod est ut dixi unicum & familiare lapsis refugium. Pro quibus autem fratrum peccatis orari expediatur, idem sequenter manifestat dicens: peccatum ergo non ad mortem, si quisquam non amorem a fratre alienaverit, sed officia fraternitati debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter & Dominus in cruce ait: Pater, ignosce illos, quia nesciunt quid faciunt. nondum enim gratia Spiritus sancti participes effecti, societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et beatus Stephanus in Actis Apostolorum orat pro eis, a quibus lapidatur, quia nondum Christo crediderant, neque adversus illam communem gratiam dimicabant. Et apostolus Paulus propter ea, credo, non orat pro Alexander, quia iam frater erat, & ad mortem idem invidentia fraternitatem oppugnando peccaverat. Pro his autem, qui non abruperant amorem, sed timore succubuerant, orat, ut eis ignoscatur. Sic enim dicit: Alexander ærarius multa mihi mala ostendit: reddet illi dominus secundum opera eius, quem

et tu devita; valde enim restitit sermonibus nostris. Deinde subiungit, pro quibus orat, ita dicens: in prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes mo dereliquerunt, nec illis imputetur. Ista differentia peccatorum Judam tradentem a Petro negante distinguit, non quia petenti non sit ignoscendum, ne contra illum sententiam Domini veniamus, qua præcipit, semper esse ignoscendum fratri petenti, ut sibi frater ignoscat, sed quia illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia & agnosceret et enuntiare cogatur. Cum enim dixisset Judas: peccavi, quod tradidem fæcum sanguinem justum, facilius tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multum interest, quali poenitentia ignoscat Deus. Multi enim multo citius se fatentur peccasse, atque ita sibi succensent, ut vehementer se peccare nollent, sed tamen animum ad humiliandum & obterendum cor implorandamque veniam non deponunt: quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem iam de damnatione illos habere credendum est. Et hoc est fortasse pccare in Spiritum sanctum, i. e. per malitiam & invidiam fraternalm oppugnare caritatem post acceptam gratiam Spiritus sancti; quod peccatum Dominus neque hic neque in futuro

sæculo dimitti dicit. Et post pauca: Quicumque enim in filium hominis dixerint verbum nequam, & potest eis dimitti, si conversi fuerint, et ei crediderint & Spiritum sanctum acceperint. Quo accepto si fraternitati invidere, gratiam quam acceperunt oppugnare voluerint: non potest eis dimitti, neque in hoc sæculo neque in futuro. Manifestum est autem, nostros conspiratores ob hoc ad sanguinem usque repugnare, ne pro turpisimis suis factis & immanissimis sceleribus vel ecclesiasticae disciplinae, vel sæcularis vindictæ medicinam cogantur fittere. Constringuntur ergo hoc peccati genere, pro quo relaxando, ut definit Augustinus, nefas est orare, præsertim cum sanctam fraternitatem non errore ignorantiae, sed tabo invidentiae, et mala voluntate, comprobentur impugnare. Hinc ergo colligitur, quod irremediabili strangulentur damnatione.

Beylage D.

CAPITULA MANEGOLDI.

1. Quod arbor bona non possit fructus malos facere.
2. De subdolo sermonis exordio:

3.

3. De fraudulentia p̄dictarum sententiarum facile agnoscenda.
4. Quod apertus inimicus facile, occultus vix queat vitari.
5. Qualis debeat esse episcopus.
6. De falsa ignorantia querele.
7. De privilegiis Sedi apostolice, ac decretis omni reverentia observandis.
8. Quod dominum Papam ab æmulatorum calumniis illustrium personarum familiaritas plene defendat.
9. Quod pulera sit copula iuniorum cum senioribus;
10. Quod Domini apostolici potius gloriam augeat; quod suscepto religionis habitu tot urbes & regiones perlustrat.
11. De mediocritate & temperantia sermonum eius.
12. De temerario adversariorum iudicio.
13. Probabilis excusatio de obiecta calumnia.
14. De introitu ipsius.
15. De qualitate turpisimæ religionis adversariorum.
16. Quam authentica sint nostri Apostolici decreta.
17. Decretalis nostri Gregorii epistola.
18. De primo & secundo nostri Gregorii statuto,

M

19. De auctoritate quatuor principalium Conciliorum.
20. Devisa testimonia diversorum patrum de damnatione Simoniacorum.
21. Quod mediatores huius mercimonii damnentur.
22. De tertio Statuto, ut incontinentes penitus damnentur.
23. De damnatione infeliciū muliercularum sacris ministris prostitutuarum.
24. De qualitate illarum litterarum, contra quas iste stilus invigilat.
25. De Wormatiensi conſpiracione & temeraria apostolicae Sedis proſcriptione.
26. De apostolica manuſuetudine.
27. Testimonia Agnetis Imperatricis de damnatione filii sui regis.
28. In hac epiftola dominus Papa quibusdam de primo regio anathemate dubitantibus satisfecit.
29. Item testimonia ex christianis temporibus.
30. Quod rex non sit nomen naturae, sed vocabulum officii.
31. De damnatione conſpiratorum.
32. Quam grave crimen fit ſchismatis.
33. Quod Heinriciani, qnum ecclesiastica manuſuetudine corrigi detrectant, per exterias idem mundanae potestates opprimantur.
34. Item testimonium Gregorii.
35. Item testimonium Augustini, ut qui

extra Ecclesiam Catholicam sunt, possessionum
fuarum ac rerum omnium ablatione coē-
ceantur.

36. Item testimonium de concilio Melevitano.
37. Item testimonium Augustini, quod hæ-
retici vel schismatici quandocumque afflic-
tionem corpore vel rebus sustinent, non per-
secutio sed disciplina vocanda sit.
38. Quod hi, qui excommunicatos non pro
privata iniuria, sed ecclesiam defendendo in-
terficiunt, non ut homicidæ poeniteantur vel
puniantur.
39. Item diversa testimonia de eadem re.
40. Testimonium Augustini, quod afflictio
malorum eleemosyna vocatur.
41. Quod pro Heinricianis non sit orandum.
42. De exemplis Salomonis falso introductis.
43. Item de male introductis Apostoli testi-
moniis.
44. De Ebonis depositione.
45. De modo & qualitate Gregorianæ obediē-
tiæ & diversitate locutionum.
46. Quo omnis sive iuste sive iniuste excom-
municatus usque ad Apostolicam audientiam
æqualiter sit vitandus.
47. De absolutione iuramentorum Heinrico
factorum
48. De absolutione eorum, quæ iuste & legae
liter sunt.

Con-
de
lam-
eni-
rum
ntra
te-
de
dam
fa-
bus,
sed
stica
eras
qui

49. Item diversa testimonia Patrum de iniustis iuramentis non observandis.
50. De falsa delatione Domini apostolici.
51. Statutum Domini apostolici, ne quis a Laïca manu ecclesiasticas suscipiat dignitates; & diversa Patrum testimonia ad eamdem rem confirmandam.
52. Exemplum Theodosii Imperatoris.
53. Quam derestabiles sint, qui seculari ambitu sacras dignitates usurpant.
54. De vocatione Aaron.
55. De Machabeorum exemplis falso prolati;
56. Item de falso prolati Salomonis exemplis.
57. De Braulione episcopo.
58. De promotione sancti Gregorii.
59. De eligendo Sedis apostolicæ pontifice.
60. Testimonia Gregorii, quod tam electio quam ordinatio pontificum præcipue ad apostolicam pertineat Sedem.
61. Item testimonia Gregorii, qui districte examinavit, quos ad pontificatus ordinem promovendos elegit.
62. Quod Gregorius non solum novos ordinavit, sed vacantes episcopos vacantibus inordinavit ecclesiis.
63. Qualiter Gregorius apostolica auctoritate alias ecclesiis aliis adunavit.
64. Quam absurdum sit, a regibus accipere, quod necesse sit in consecrationibus iterare.

65. Iterum diversa testimonia patrum, quod electio episcoporum non in potestate regum, sed in arbitrio consistat comprovincialium episcoporum.
 66. Quod mala consuetudo non sit retinenda.
 67. Item diversa testimonia patrum, quod qui publice impugnant canones, non sint dicendi sacerdotes.
 68. Satisfactio de quarto nostri Gregorii capite, cur publica Simoniacorum & Nicolaitarum officia prohibeantur.
 69. Decretalis epistola venerabilis Gregorii papæ.
 70. Testimonium Petri de non recipiendis istorum officiis.
 71. Item testimonium cuiusdam poenitentis de cadem re.
 72. Cur eorum officia sint prohibita.
 73. Explanatio ejusdem capituli, quod praesenti statuto videbatur adversari.
 74. Item aliae rationes, cur istorum officia populo sint interdicta.
 75. Item exemplum Eutyciani papæ, quam perniciosum ab his haereticis dominica sacramenta accipere.
 76. Testimonium Petri Damiani, quod iure vocentur haeretici.
 77. Item quod non solum haeretici, sed et infideles possint appellari.
 78. De continentia Clericorum.
-